

1236, juny, 28

*Sentència de Guillem Filtrarius i Bernat Constantí, jutges donats per Ramon de Montoig, ardiaca i jutge ordinari de Girona, en causa d'apel·lació d'Arnau de Vilademany contra Jusiana de Cervera, sobre béns de Toralles i Setcases.*

ASD núm. 112, perg. orig., 205 x 210 mm. Còpia: *Llibre de capbreuacions de Setcases*, ff. 28-29v.

Certum quidem est et manifestum quod sententia lata ab Raimundo de Beteto, tenente locum Raimundi de Rogacionibus, archidiaconi et iudicis ordinarii in episcopatu Gerundensi, in causa que uertebatur inter Arnallum de Uillademagno ex una parte et dominam Iusianam ex altera, prefata domina Iusiana ad supradictum Raimundum de Rogacionibus archidiaconum et iudicem ordinarium appellauit. In cuius iudicis presentia multum fuit altercatum utrum appellatio facta a domina Iusiana esset recipienda aut non, qua altercacione per eius sententiam interlocutoriam diffinita et etiam super quibusdam capitulis eiusdem interlocutorie interpretacione facta, nos Bernardum Constantinum et Guilielmum Filtrarium in causa appellacionis iudices delegauit. In quorum iudicum presencia proposuit domina Iusiana se ab Raimundo de Beteto esse grauam et iniuste condempnatam quare cum super posicionem per sacramentum calumpnie facta ab Arnaldo de Uillademagno ipsa dubitaret, et ideo dilacionem ad deliberandum petiisset, ipse Raimundus de Beteto, sprete allegacione sua, ipsam tamquam contumacem, licet de iure non debuisset, condempnauit, qua etiam ratione sententiam ipsius Raimundi de Beteto nullam esse allegauit. Proposuit insuper accionem in libello propositam Arnallo de Uillademagno debere denegari, eo quod rem iam in iudicium deductam siue actionem litigiosam emit nam antequam Guilielmus de Montecluso accionem propositam ei cessisset iam ipsam accionem in iudicium deduxerat. Item allegauit sententiam a Berengario de Albuciano latam et sententiam Raimundi de Beteto pluribus rationibus debere rescindi. In primis quia illa sententia ex qua predictus Arnallus de Uillademagno egerat actione iudicati, petendo tres partes castri de Toraliis et honoris de Septemcasis quam a Berengario de Albuciano iudice tunc temporis ordinario latam fuisse in causa que inter Raimundam de Montecluso et Guilielmum Umberti, uirum et procuratorem eius ex una parte, et dominam Iusianam ex altera proponebatur sepe dicta domina Iusiana absente et grauiter infirmante et per impressionem uiciorum qui tunc temporis erant inimici eius fuit lata, que etiam sententia formam sententie in se non habebat, cum in tercia persona formata esset et deberet formari in prima. Item quia prefata domina Iusiana in ipsa causa ad conseruandum ius suum quod in re siue honore petito habebat, allegauit quod Raimunda de Montecluso et eius maritus Guilielmus Umberti fecerant difinitionem rei siue honoris in libello petiti Raimundo de Uillamulorum a quo ius pignoris duorum milium aureorum in honore supradicto se habere proponebat et ipsa in probacione predictae difinitionis deficiente, iudex detulit iusiurandum aduerse parti, per quod iusiurandium in tribus partibus sui iuris uel pignoris quod in honore predicto habebat fuit condempnata, et

quare reperierat modo instrumentum diffinicionis dicebat ipsam sententiam in hoc ad minus quo fuit condempnata esse retractandam. Ex aduerso autem Arnallus de Uillademagno negans omnia supradicta proposuit replicando quod si uera esset diffinicio supradicta non obstaret quoniam Raimundus de Uillamulorum postea supradictum honorem Raimunde de Montecluso, cuius locum ipse habet, in suo testamento legauit, quod aduersa pars negauit et ad interlocucionem iudicum supradictorum domina Iusiana induxit testes et instrumentum pignoris publicum et instrumentum diffinicionis priuatum, quod legitime contrariauit Arnallus de Uillademagno induxit translatum testamenti Raimundi de Uillemulorum firmatum a iudice ordinario. Inde est quod attestacionibus publicatis et uisis instrumentis et perlectis et inspectis sentenciis Berengarii de Albuciano et Raimundi de Beteto, facta etiam hinè inde disputacione et renunciacione, nos predicti iudices sentencias predictorum Berengarii de Albuciano et Raimundi de Beteto in illo capitulo in quo domina Iusiana fuit condempnata, uidelicet in tribus partibus sui pignoris sentencialiter rescindimus et nullas esse dicimus, et ipsi domine quantum ad totalitatem honoris qui petitur suum pignus sicut in instrumento suo continetur penitus confirmamus, quantum uero ad proprietatem ipsius honoris predictas sentencias confirmamus, ipsum Amallum de Uillademagno quantum ad supradictum pignus condempnando et dominam Iusianam penitus absoluendo.

Actum est hoc .nu. kalendas iulii anno Domini .MCCXXX. sexto.

+Raimundus de Monterubeo, Gerundensis archileuita et iudex ordinarius domini regis\*. Sig(s. *man.*)num Guilielmi Filtrarii\*. Sig(s. *man.*) Bernardi Constantini\*.

Petrus Sancte Marie, qui hoc scripsit mandato Bernardi Constantini et Guilielmi Filtrarii, cum litteris rasis et emendatis in .XIII. linea, ubi dicit "aureorum" et in antepenultima, ubi dicit "sentencialiter".

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 234-236